

alias non liber, sed naturalis esset progressus in actibus harum facultatum, sicut est interphantasiam et appetitum. Objectum autem solum determinat voluntatem, quando infinitum est bonum, et quando ita proponitur, ut in carentia amoris illius nulla ratio boni repræsentari possit. Et hac ratione dixit D. Thomas voluntatem in hac vita non necessitari ab objecto ad exercitium actus, sed in sola clara Dei visione, ubi per talem determinationem simpliciter necessitatur voluntas ad Dei amorem. Ad beatitudinem vero in communi, dicit idem D. Thomas voluntatem determinari, seu necessitari quoad specificationem, quia in illo objecto nulla ratio mali apprehendi potest. Ad alia vero bona particularia, neque isto modo determinatur voluntas in hac vita quoad exercitium, nisi in actibus indeliberatis, vel nisi homo impediatur, ne alias rationes boni et mali considerare valeat; quod non est necessarium ad gratiam excitantem, neque ad efficaciam gratiæ, alias non posset homo per gratiam efficaciter moveri ad eligendum inter bonum et malum, utraque ex parte sufficienter considerando, vel stante libertate et potestate considerandi aliud, quod manifeste falsum est, et contra modum loquendi Scripturæ de usu libertatis, et contra efficacitatem et excellentiam gratiæ. Ergo excitans gratia, ex ea parte qua ad intellectum pertinet, nunquam determinat voluntatem quoad exercitium, et rarissime quoad specificationem. Fortasse enim aliquando ex privilegio id conceditur; tunc autem qualis fuerit determinatio, erit etiam necessitas, utique quoad specificationem; nam oportet ut tollatur potestas, et consequenter libertas cogitandi alia, quæ ad contrarios actus, vel specie diversos, possent inducere.

12. *Probatur pars secunda de actibus voluntatem excitantibus. — Declaratur. —* Superest probanda altera pars de actibus voluntatem excitantibus. Probatur autem quia actus gratiæ excitantis in voluntate, solum est quidam simplex affectus, qui solet vocari velleitas; hic autem actus non potest determinare voluntatem ad plenum et absolutum consensum, seu (quod idem est) non potest necessitare illam quoad exercitium ex sola suppositione talis motionis, quia neque habet cum illo necessariam connexionem, neque perfectionem illi æqualem. Et declarari potest primo, ex testimonio Augustini, illis verbis:

..... Trahit sua quemque voluptas,

nam illa attractio qua solet delectatio inducere

voluntatem, non est necessitas, nec determinatio ad unum, sed solum inclinatio quædam et propensio: sed similis est motio gratiæ excitantis, etiam efficacis, teste Augustino, ut patet etiam exemplis ejus: *Nuces ostendis puero, et trahis illum; ovi ostendis ramum, et trahis illam*; nam in his etiam usu rationis carentibus non semper vel non statim talia objecta ostensa determinant quoad exercitium; ergo multo minus excitationes indeliberatæ voluntatis, vel simplices affectiones, aut delectationes, determinant liberam voluntatem ad ulteriorem consensum. Quod tandem declaratur ac confirmatur ex principio communi Theologorum cum D. Thoma 1. 2, q. 13, art. 6, ad 4, quod intentio finis non determinat voluntatem ad electionem etiam mediæ unice et necessariæ, nisi ipsa sit efficax et absoluta; quia si tantum est conditionata, aut desiderium quoddam, non habet efficaciam movendi eandem voluntatem ad actum absolutum, qualis est electio, sicut etiam voluntas ipsa non movet intellectum, vel alias potentias per *vellem*, sed solum per *volo*. Cum ergo isti motus gratiæ excitantis sint solum velleitates simplices, non possunt determinare omnino voluntatem ad plenum consensum. Tandem isti motus gratiæ excitantis, cum naturales sint, id est, necessarii, non procedunt ex perfecta deliberatione, nec ex dominio voluntatis; consensus autem debet esse deliberatus, et ex dominio voluntatis; ergo non potest sequi necessaria illatione, seu intrinseca connexionem ex illis motibus; ergo illi non determinant dicto modo voluntatem ad consensum.

13. *Corollarium. —* Quinto, hinc colligere possumus rationem aliam, quia si gratia excitans, ut talis est, determinaret physice voluntatem, plane simpliciter necessitaret, necessitate sine ulla tergiversatione contraria libertati: certum autem est non necessitare hoc modo; ergo. Major probatur, quia illa non esset necessitas ab extrinseco, in qua solet quæri diverticula quæ postea expendimus, sed esset ab intrinseco, quia esset ex solo iudicio rationis, vel ex intrinseca connexionem actuum voluntatis inter se; ergo esset necessitas absoluta contraria libertati. Probatur consequentia, nam primo, si illa determinatio voluntatis proveniret ab intellectu, res est indifferentia, quia iudicium sine indifferentia fieret, cum præcedat voluntatem, et non relinqueret indifferentiam in actu voluntatis; quod adeo est necessarium ad libertatem, ut aucto

res oppositæ sententiæ in indifferentia iudicii libertatem constituent; ergo si voluntas determinatur a cogitatione sancta, quæ in intellectu præcedit, jam illa cogitatio non relinqueret voluntatem indifferentem. Imo intelligi non posset talis determinatio aliunde provenire quoad exercitium actus, nisi ex intrinseca natura et conditione voluntatis, quia cogitatio non movet, nisi secundum modum intrinsecum et connaturalem intellectui et voluntati; illa ergo necessitas consequentiæ esset necessitas ab intrinseco, et consequenter necessitas simpliciter. Unde hac ratione determinatio voluntatis ad amandum in patria, dicitur esse necessitas simpliciter contraria libertati, quia provenit ab intrinseco ex natura talium actuum et talis objecti; et motiones indeliberatæ voluntatis sunt necessariæ simpliciter, quia ab intrinseco habent illam necessitatem, supposita tali representatione objecti; ergo idem esset in ipso consensu, si per sanctam cogitationem omnino determinaretur. Atque idem facile probari potest de actibus voluntatis inter se, quia motus gratiæ excitantis, ut dixi, necessarius simpliciter est; ergo si ex illo necessario sequeretur consensus necessitate consequentiæ, illa etiam esset necessitas consequentis, quia esset ab intrinseco ex natura voluntatis, vel talium actuum ejus; esset ergo necessitas simpliciter. Sicut dicunt Theologi ex absoluta intentione finis sequi necessario electionem mediæ, si ut unicum et necessarium proponatur, et consequenter si intentio esset naturalis, id est, non libera, etiam electionem fore simpliciter necessariam, quia est intrinseca consecutio ex natura voluntatis: ita ergo esset in præsentia.

14. *Quæstiuncula. — Solvitur. — Objectio. — Responsio prima. — Secunda. —* Sed quæres an saltem de potentia absoluta dari possit gratia excitans, quæ hoc modo voluntatem physice prædeterminet. Respondeo breviter duobus modis posse intelligi, præviam motionem vitalem et excitantem determinare physice voluntatem: uno modo, relinquendo illam suæ naturæ, seu connaturali causalitati; alio modo, elevando illam per Dei omnipotentiam, utendo scilicet illa ut instrumento ad impellendam physice et cum omni determinatione voluntatem ad consensum. Dico ergo repugnare dari excitantem gratiam, quæ priori modo determinet physice voluntatem. Ratio est, quia isti prævii motus excitantes, qui in intellectu vel voluntate ante usum libertatis præcedunt, ex se et natura sua non habent

hanc vim, ut rationes factæ probant: ergo per solos illos non potest necessitari voluntas, si Deus eos suo connaturali modo operari et movere voluntatem sinat, quia illi actus, suæ naturæ relictæ, non possunt immutare connaturalem modum operandi voluntatis, nec inducere necessitatem ab intrinseco, qualis illa esset, ut ostensum est. Dicunt vero aliqui posse Deum tunc suspendere concursum ad omnem alium actum, quo voluntas posset resistere tali excitationi, et tunc aiunt necessarium esse ut voluntas consentiat; quia, licet libera sit ad efficiendum hunc vel illum actum, proposito objecto, nihilominus necessarium aliquid efficit, nec potest suspendere omnem actum. Respondeo primo, præmissa hac hypothese et non concessa, jam ibi immutare Deum ordinem connaturalis providentiæ, et deinde illum effectum non sequi ex gratia excitante, sed ex intrinseca determinatione voluntatis, cujus natura esse dicitur, ut non possit actum suum mere negative, ut sic dicam, suspendere; unde, suppositis illis principiis, illa non esset determinatio ab extrinseco; sed necessitas quædam quoad exercitium contraria libertati. Quæ (consequenter loquendo) non minus fieret per quamlibet propositionem unius objecti boni, cum ablatione concursus ad suspendendum actum nolendi. Respondeo vero secundo, ex illa hypothese solum sequi necessitatem quoad specificationem, non vero quoad exercitium, quia falsa est illa sententia quæ dicit, proposito objecto, non posse voluntatem suspendere omnem actum, sed necessitari ad aliquem in confuso, quia non est major ratio de tota collectione actuum quam de singulis: unde, licet Deus negaret concursum ad alios positivos actus in prædicto casu, non necessitaretur vel determinaretur voluntas ad eliciendum consensum, quia illum potest suspendere virtute suæ libertatis, quæ non immutatur propter impotentiam eliciendi alios actus, quæ sequitur ex hypothese negationis, seu carentia concursus.

15. *Alia solutio. — Probatur. —* Nihilominus vero dico posse Deum de potentia absoluta uti excitatione, ut instrumento, ad determinandam voluntatem. Probatur, quia sicut potest uti aliis rebus vel motionibus ut instrumentis physicis ad efficiendum aliquid supra naturam illorum, ita potest uti illa excitatione ad efficiendum in voluntate actum consentiendi tanta vi et efficacitate, ut voluntas non possit illi resistere; si autem hoc faciat, Deus determinabit physice voluntatem

per illam motionem; hæc autem prædeterminationis voluntatis revera esset quædam absoluta necessitas voluntatis, ut in sequentibus probabo; nam eadem est ratio de hac determinatione facta per hoc instrumentum, vel per quamlibet aliam motionem, ut per se notum videtur. Quocirca, sicut supra Prolegomeno 4 diximus posse Deum necessitare voluntatem, ita nunc dicimus posse id facere miraculose per illam excitationem, et hanc vocamus determinationem. Verumtamen, sicut ibi diximus non posse voluntatem hominis necessitari per solam voluntatem extrinsecam Dei, nisi intrinseca actio vel mutatio in ipsa voluntate sit major, vel alterius rationis, ita nunc dicimus per excitationem non posse voluntatem hominis necessitari, nisi elevetur ad novum modum agendi; alioqui vel non fiet talis determinatio in voluntate, vel non fiet per excitationem, sed ad præsentiam ejus Deus per seipsum, vel per aliud principium illam faciet.

16. *Impugnatur ratio dubitandi.* — Ad rationem dubitandi negatur consequentia: nam, esto verum sit vocationem ipsam seu excitationem esse efficacem, nihilominus, quando talis est, non habet illam efficaciam ex intrinseca determinatione, quam ad efficiendum consensum habeat, sed solum quia ita datur ut infallibiliter illum efficiat, quæ infallibilitas non oritur ex sola natura, seu entitate talis actionis; quomodo autem illi conveniat, discursu sequentium capitum explicandum est, nam hoc in omni sententia locum habet, ut videbimus.

CAPUT VIII.

UTRUM EXCITANS GRATIA PER SEIPSAM ET NATURA SUA DETERMINET SALTEM MORALITER VOLUNTATEM, IDEOQUE TALIS EFFICACIA AUXILII EXCITANTIS AD ACTUS LIBEROS ET SANCTOS VOLUNTATIS NECESSARIA SIT.

1. *Affirmatur quæstio.* — Partem affirmantem hujus quæstionis insinuant multi ex auctoribus allegandis capite sequenti, expresseque tradunt illam Alvar., disput. 3, conclus. 4, et Ledesma, dicta quæst., art. 1, conclus. 4; et generaliter eam attribuit suis Theologis; signatim vero allegat Joannem Vincentinum, qui putat illam certissimam in Theologia. Tribuit etiam Driedoni, lib. de Concord., part. 2, c. 3, sed ibi nihil de prædeterminatione morali docet, sed solum de necessitate præviæ motio-

nis per gratiam excitantem tractat, quæ longe diversa est, ut infra dicam. Deinde Ledesma, ad suæ sententiæ probationem, imprimis allegat et inducit ea quæ, in principio quæstionis, pro conclusione 3, id est, pro determinatione generatim attulerat; illa enim ait ad minus de morali prædeterminatione convincere. Ibi autem adduxerat locutiones Scripturæ, quibus dicitur Deus vel inclinare corda hominum, vel immutare illa, vel attrahere, vel facere ut velint et faciant, et auferre cor lapideum, et dare cor carneum. Item illa in quibus dicitur Deus causa nostrorum actuum, et incipere ac perficere nostrum velle; nam est causa, inquit, per suum auxilium; ergo illud debet esse prævium, antecedens et efficaciter prædeterminans, etc. Ac denique illa in quibus soli Deo tribuitur salus hominis, ut illud: *Non est volentis*, etc., et ad hunc modum inducit loca similia Patrum et Conciliorum, quæ nunc supervacaneum est referre, quia nec peculiarem vim habent, et in sequentibus repetenda sunt.

2. *Principia notatu digna.* — Postea vero eadem testimonia inducit per rationes theologicas, et obiter ponit duo principia notatu digna, in quibus inductio nititur. Unum est, illa omnia quæ Scriptura docet, non posse fieri per gratiam sufficientem, nam hæc solum dat virtutem et potestatem; quæ autem Scriptura docet, significant actualem efficientiam Dei in nostros actus. Secundum principium est, eum qui habet auxilium sufficiens, non habere actualem inclinationem ad opera supernaturalia, sed tantum habituales, nam illud auxilium habet rationem virtutis et potentiae; Scriptura autem loquitur de inclinatione actuali, dum dicit Deum inclinare cor nostrum, et similia. Reliqua, quæ in discursu octo rationum dicit, nihil habent peculiare de prædeterminatione morali, et ideo illas nunc prætermitto. In altero vero loco, applicat priores rationes, supposito generali fundamento, quod sit necessaria divina prædeterminatio, inferendo illam debere esse necessario moralem. Primo, quia Deus debet præmovere et prædeterminare voluntatem, juxta illius naturam; voluntas autem est moraliter operans, et ideo natura sua postulat moralem inductionem per mentis illustrationes et piæ affectiones, antequam physice prædeterminetur; secundo, et fere in idem redit, quia prædeterminatio physica debet fieri tali modo ut non tollat libertatem; ad hoc autem necesse est ut præcedat prædeterminatio moralis; ergo est æque necessaria. Probat minor, quia ut

prædeterminatio physica non tollat libertatem, necessarium est ut fiat juxta naturam ipsius voluntatis; hoc autem non haberet nisi præcederet prædeterminatio moralis; ergo. Tertio, voluntas efficit suum actum et physice et moraliter: ergo utroque modo debet prædeterminari a Deo; hoc enim necessarium est ut omnibus modis verum sit Deum operari in nobis opera nostra, et facere ut faciamus illa.

3. *Advertendum circa verba præmovendi et prædeterminandi.* — Priusquam sententiam meam proferam, duo in superioribus animadvertenda in memoriam revocare necesse est. Primo, cavendam esse æquivocam transitionem a verbo *præmovendi* ad verbum *prædeterminandi*, et e converso, ac si essent æquipollentia, cum revera sint longe diversa; nam *præmovere* latius patet quam *prædeterminare*, et prædeterminatio includit præmotionem, et addit aliquid, nimirum quod motio talis sit, ut aliquo modo infallibiliter inducat voluntatem ad consensum, faciendo illam velle; unde fere ita se habent præmotio et prædeterminatio, sicut gratia prævia sufficiens et efficax; nam sufficiens præmovet, sed non requirit illam connexionem cum effectu; efficax vero et præmovet, et habet illam connexionem cum effectu, et inde dicitur efficax. Unde, si habeat illam connexionem vi sua et in actu primo, dicitur etiam prædeterminare. In præsentem ergo non movetur quæstio de præmotione; plus enim quam certum esse supponimus, et præmotionem gratiæ esse necessariam ad singula opera pietatis, et primum omnium esse necessariam præmotionem moralem, quam facit gratia excitans per se, et per vim supernaturalem sibi connaturalem et innatam, ut latissime in libro secundo et tertio declaratum et probatum est; quod ergo inquiritur, est utrum necessarium sit hanc gratiam excitantem in tali gradu, modo, vel entitate dari, ut non solum præmoveat, sed etiam vi sua intrinseca prædeterminet voluntatem, ita illam præmovendo, ut in actu primo illam prædeterminet, saltem morali modo.

4. *Alterum advertendum circa prædeterminationem.* — Secundo, adverto prædeterminationem moralem duplicem cogitari posse: una est quæ solum dicatur moralis, quia fit per causalitatem, seu motionem moralem, in reliquo vero tam infallibiliter inferat effectum, quam prædeterminatio quæ physica dicitur, ita ut omnino repugnet, et contradictionem implicet, poni in voluntate talem motionem mo-

ralem præviam, et non sequi consensum, seu simul poni motionem illam cum carentia consensu. Altera prædeterminatio dici potest moralis, quia non solum in modo causalitatis, sed etiam in gradu certitudinis (ut sic dicam) quoad obtinendum consensum, moralis dicitur, quia non est tam necessaria vel infallibilis connexio, ut intrinsece repugnet, vel contradictionem implicet, separari talem præmotionem moralem ab effectu, seu cum negatione illius componi, licet moraliter et humano modo procedendo, id non contingat.

5. *Assertio.* — *Probatur primo.* — Dico primo: ex vi gratiæ excitantis quantumcumque abundantis et perfectæ in suo genere, et per se ac ex sola sua virtute et causalitate spectatæ, nunquam potest voluntas ita prædeterminari ad actum consentiendi tali excitationi absolute et simpliciter, ut repugnet illam excitationi resistere. Hanc assertionem posui in libro tertio de Auxiliis, et mihi illam probant omnia adducta in præcedenti capite; nam sive talis prædeterminatio vocetur physica, sive moralis, si absolute et simpliciter talis sit, ut in voluntate non maneat potestas illi resistendi, procedunt omnes rationes ibi adductæ. Primo, quia Concilia sine limitatione docent, posita excitatione, posse hominem dissentire si velit; cui universali definitioni non possumus auctoritate nostra exceptionem vel limitationem addere. Et ad hoc confirmandum valent plurimum quæ de vocatione Pauli disserit Chrysostomus, in tomo tertio Homil. de ferendis reprehensionibus et vocat. Pauli: nam si quæ excitatio posset prædeterminare illo modo voluntatem, maxime certe vocatio Pauli: negat autem Chrysostomus illo in loco voluntatem Pauli fuisse ita determinatam per illam vocationem, ut, illa posita, aliud velle non posset; nam licet non utatur verbo *prædeterminandi*, sed verbo necessitatis aut coactionis, re tamen vera eundem sensum intendit; eo enim tendunt omnia exempla et comparationes, quas adducit in commendationem liberi et plene voluntarii consensu Pauli, et omnia inutilia essent et nullius momenti, nisi in eo sensu loqueretur; quod non latius pondero, ut prolixitatem vitem, maxime cum in sequentibus multa similia expendenda sint: rogo autem studiosum Theologum ut locum illum attente legat et consideret.

6. *Probatur secundo.* — Secundo, probatur assertio discursu facto in præcedenti capite, quia in motu excitante per se spectato nihil